



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Vndè fiat quòd certis diebus ieiunamus, & à quibusdam cibis
abstineamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tribus sancitum est: sic ieiunia quatuor temporū anni, item quadragesimæ, & Aduentus Domini ordinantur: & negari nō potest quin hæc abstinētia placeat Deo, sicut patet in Ioanne Baptista & tribus pueris: sed nostris his temporibus regnat ille fraßdeufel/ qui decepit primos parentes in Paradiso. At inquirunt Carnales Euangelici Matth. 15. Quod intrat in os, non coinquinat hominē, & cibus nos nō commendat Deo, Roman. 14. est enim omnis creatura sanctificata. Respond. Nemo catholicorum dicit cibum esse malum, est enim bona Dei creatura, nec pomum fecit peccatum in Adam & Eua, sed contemptus diuini præcepti: nam ex corde exeunt mali cogitatus, qui coinquinant hominem, cibus non prohibetur vt malus, sed abstinētia illius ad certum tempus, ad laudem Dei & castigationem corporis præcipitur. Si Hester potuit iniungere toti populo ieiunium per tres dies, & rex Niniuæ populo & iuuetuti, cur hoc idem non posset tota Ecclesia? Humiliatio mētis hīc quaeritur, non cibi simpliciter prohibitio. sciebat Ioann. Baptista in cibis nullum esse peccatum, Matt. tertio. abstinuit autem à lautioribus, & vilia gustauit. Sciebat Timotheus quod non esset peccatum, vinum bibere: abstinuit tamen, aut saltem modicè gustauit, ob crebras stomachi infirmitates: abstinuit & Daniel & pueri à cibo regio, etsi sciebant eum non malum esse: abstinuerunt Rechabite à vino, quod tamen sciebant non esse malam creaturam & cæt. Sic vbique scriptura commemorat & laudat huiusmodi abstinētia & obedientiam, quod Deo placeat. Est quoque ieiunium subtractio superfluitatis, sicut ollæ subtrahuntur ligna ne supereffluat: sic est abstinētia. Est quoque ieiunium hypocriticum, quod fit propter homines Matth. sexto. Cū ieiunatis &c. & quando parcè viuitur ob auaritiam, Ecclesiast. sexto. Vir cui dedit Deus substantiam &cæt. Est quoque laudabile

Dan. i.

Hier. 35.

L L ieiunium;

ieiunium, quod fit ad laudem Dei in abscondito, Mat. sexto, & hoc Deo placet & habet suam promissionem. Vulgò dicitur, fames expellit lupum ex nemore: ita abstinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine. Marc. 9. Hoc genus demoniorum non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio. Sed totum ieiunium dicitur, quando non vna parte (scilicet abstinentia tantum cibariorum) ieiunamus, sed quando etiam totum corpus nostrum retinemus & abstrahimus à voluptate carnis, & cor nostrum à prauis desiderijs &c. Tale ieiunium, quod cum externo est coniunctum, exigit Christus. Postremò negari non potest, quòd verum ieiunium sæpè placauit Deum, vt non fuerit secuta pœna aliqua vel tribulatio: non quòd ieiunium nostrum possit satisfacere pro culpa & pœna eterna. hoc enim solū transfertur in Christum. Esai. 53. In eo posuit patet iniquitatē omnium nostrum. Sed de pœna temporaria, quam Deus sæpè imponit propter peccata hic in presenti vita. Sic placarunt iram Dei filij Israel congregati in Masphat, 1. Reg. 17. admonente Samuele ieiunarunt, &c. & percusserunt Philistinos atq; vicerunt. Sic rex Achab impetrauit veniam, quando ieiunauit, & ambulauit demisso capite, dormiuitq; in sacco, cū audiret terribilem Heliae prophetæ cōminationem, 3. Reg. 21. Sic Ninuitarum placant Deum, ne pœnā illis immittat. Ideò & Christus ieiunauit & triumphauit, ieiunauit & Moyses cū esset locuturus Domino. Vnde Apostolus admonet 2. Corint. 6. Exhibeamus nos sicut Dei ministros in ieiunijs & vigilijs multis &c. In omni ergò pressura veteres, quò mitigarent flagellum Dei, atq; hostes suos superarent, confugerunt ad orationem, ieiunium, eleemosynā, eo quòd hæc tria omnia alia bona opera in se comprehendunt, & Tob. 12. dicit: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesaurizare aurum: & tunc quodlibet horum operum efficax est, quando hæc tria sunt coniuncta,